

SECTIO I.

§. I.

Nequae adeo de Argumentis, quibus certamen hoc juxta rectæ rationis ductum conficiatur, longius mihi disquirendum erit, cum ipse Rœllius, dum pro absoluto Electionis decreto pugnat, arma contra istud satis valida subministret. Nam Pauli doctrinam divinæ originis esse probaturus ad illius sanctitatem provocat. „Scribit enim Coment. p. 87. Qui Pauli doctrinam sine „præjudiciis & pia, attenta ac defecata mente consideraverit, de- „prehensurum esse, doctrinam ejus totam sanctam, Deo dignissimam, homini ad pietatem & salutem informando aptissimam esse. „Ut autem, pergit ib. de doctrinæ quam Paulus tradidit, sanctitate „ac divinitate recte arbitrari possis, oportet, ut primum serio ex- „pendas, qualis esse debeate doctrina, quæ vere sancta & „θεοπρεπής judicari queat. Nihil aliud ergo procul dubio deside- „rare ac requirere potes, quam ut talem præscribat religionem, quæ „si ad praxim transferatur, hominem reddat totum sanctum. San- „ctitatem etiam, quæ Deo naturalis est, describit p. 272. quod sit ea „divinæ voluntatis perfectio, qua omnia ex amore sui agat; con- „venienter naturæ & perfectionibus suis ad gloriam suam. Inde „concludit p. 273. judicandum de omnibus Dei in natura & gra- „tia actionibus, deque Exercitio tum justitiæ tum misericordiæ, „in omnibus quippe elucere illam sanctitatem Dei.

§. II. Jam ex his, quæ Rœllio recta ratio suggestit, contra Rœ-
ellium colligo:

Quicquid sanctitatem Dei negat, ipsamque adeo Dei natu-
ram tollit, illud neque vel per Paulum, vel per ullum alium reve-
latum est, neque revelari unquam potest.

Absolutum Electionis decretum Dei sanctitatem negat, &c.

E. Absolutum Electionis decretum neque vel per Paulum, vel
per ullum alium revelatum est, neque revelari unquam potest.

§. III.